



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

De libris Cancellariam ipsam sigillatim pertinentibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

Provincia iura authentica; & alia quaecunque spectantia, ad ecclesiarum, etiam exemptarum, subiectionem huic Metro- poli, aliamve recognitionem, saltem quod ad Concilia Prouincialia: vt est effectio vigore Concilii: Quorum exempla ponantur in libro authentico: cum filiis opportunis.

Alia iura quaecunque; pertinentia ad Metropolitanam iurisdictionem, collecta in libro vt supra.

Instrumenta authentica, si quae sint, in his recondantur tutius, vel index sit in serinio communi prouinciae.

Copiz singulorum Prouincialium Conciliorum, & antiquorum Regestum, licentiarum particularium distinctae per singulas Ecclesias.

Collecta literarum ab Archiepiscopo eodem ordine distincta.

Acta; vt filiae visitationis locorum Prouinciae; distincta per singulas Ecclesias.

Liber memorialis rerum grauiorum, ad loca Ecclesiae suae, vel eius bona, vel ad mores populi & cleri pertinentium, ordine ecclesiarum cathedralium.

Distinctio etiam Diocesis a Ciuitate, & plebibus, & Parochiis, si potest.

Processus quicunque facti in ipsa Prouincia.

De libris ad Cancellariam ipsam sigillatim pertinentibus.

**H**abeat libros ad Cancellariam ipsam spectantes, vt supra.

Librum iurium Cancellariae; in quo haec sint extensa.

Erectio officii Cancellariae.

Vniones, si quae factae.

Statuta, constitutiones, & reformationes Cancellariae.

Prouisio, seu deputatio Cancellarii pro tempore.

Indicem distinctum scripturarum ibi asseruatarum, quarum emolumenta transeunt ad successores.

Indicem Notariorum, aliorumve, qui habent scripturas Notariorum Archiepiscopaliū anti quorum.

Item eorum, qui facultatem habent edendi illas authenticas.

Tabellam taxae Notariorum Cancellariae, & aliorum officialium.

Statuta Collegii Procuratorum.

Indicem librorum, & filiarum, quas Cancellarius ex ratione officii sui conficere & habere debet.

Decreta & ordinationes eorundem.

Indicem Notariorum substitutorum Cancellariae.

Indicem scriptorum Cancellariae, & reliquorum omnium officialium.

Indicem Procuratorum Collegii fori Archiepiscopalis.

Item Procuratorum aliorum, qui iuramento praestito aliquando procurant in foro ecclesiastico.

Notariorum Apostolicorum qui creati sunt, & qui creantur in dies.

Indicem praeterea Praefectarum, Congregationum, & officiorum variorum, tam ecclesiasticorum, quam laicalium, quae quouis modo spectant ad regimen huius Ecclesiae, & disciplinam omnem cleri & populi.

Indicem quoque singulorum Deputatorum, in singulis praefecturis, congregationibus, & officiis praedictis, siue ecclesiasticis siue laicalibus.

Habeat alium librum authenticum publicationum, & relationum, de publicationibus quae in dies fiunt, de literis Pontificis, decretis, Concilii edictis, & eiusmodi; cum indice ordine materiae, tum etiam filia ipsarum relationum, & literarum.

Indicem anuum ad formam Calendarij; in quo quasi memoriali redigat omnia, quaecunque populo per annum promulganda sunt; siue in cathedrali, siue ad valvas aedium Archiepiscopaliū solum, siue in vniuersis Parochiis, vel Ecclesiis, ac etiam regularibus, vt puta:

Edicta de reuelandis haereticis, bullae pontificiae, quibus praescriptum est publicari quotannis decreta plura, Tridentina, prouincialia, & diocesana.

Indicem similem ordine Calendarij, in quo descripta sint, quaecunque ab Archiepiscopo, Vicario generali, Visitatoribus, Vicariis, Parochis, alijsve huius ecclesiae ministris, statis diebus vel temporibus per annum, praeter publicationes praedictas, praestanda sunt.

Arque ideo curae Cancellarij sit, in tempore suggerendi iis ad quos spectat; vt

putat.

puta, examina ordinandorum, calculi locorum piorum, congregationes cleri urbani, & Vicariorum foraneorum, visitationes variae, missiones praedicatorum, & alia multa.

Habeat librum authenticum cum indice alphabetico ordine materiarum, in quo redigat omnes stylos curiae olim probatos, & qui deinceps probabuntur, auctoritate Archiepiscopi.

Habeat item tabellam, quae a nobis stabilietur, perpetuo affixam publice: in qua descripta sint festa tam mobilia, quam immobilia, in quibus ius non redditur; nec non feria, ut puta messium, vindemiarum, & aliarum.

De scripturis ad cancellariam deinceps suo tempore colligendis.

**A**rchiepiscopus, Vicarius generalis, & alii visitatores, & Praefecti quicumque, si quae eorum notitiae venerint, quorum causa quam primum aliquid praestandum sit curae Cancellarij, ut in vacatione beneficiorum, & huiusmodi; statim cancellariae denuncient.

Omnes vero haec ad eos ratione eorum officii undecumque scriptae, in filicia feriatim reductae vnoquoque mense ad Archiuum transmittantur seruandae.

Literarum etiam, quas ad quoscumque ratione officii sui intra vel extra dioecesim scripserint, exemplum, siue regestum conficiatur, quod deinde in Archiuo cancellariae in fine cuiusque mensis asseruandum tradatur Cancellario.

In filicijs, & registris literarum hanc rationem adhibeat; ut distinguantur per menses.

Ut simul coniunctae sint, quae Archiepiscopi, & quae Vicariorum sunt, visitationesve.

Registra vero ipsa literarum Archiepiscopi, ac aliorum ministrorum, ac rursus literas ad ipsos scriptas, ordine mensium simul collectas, distinctas tamen aliquo intermedio, quo dignoscatur, quae cuiusque, vel Archiepiscopi, vel Vicarii sint, seruet perpetuo in Archiuo.

Ut regesta, & filicia separatim ab alijs sint, literarum ad sanctam inquisitionem pertinentium.

Ut item literarum ad varia loca provinciae pertinentium.

Ut item literarum, ad iurisdictionem Archiepiscopalem, aut Ecclesiarum pertinentium.

Ut item literarum, ad iurisdictionem temporalem vallis Soldae pertinentium.

Ut item literarum ad monialium mores pertinentium.

Ut item literarum ad regularium virorum mores spectantium.

Ut item literarum generalium, siue ad Vicarios foraneos, siue ad Parochos, siue ad Iudices parochiarum, siue ad Praefectos, aut visitatores, siue ad Episcopos etiam Provinciae, aut status Mediolani.

Si quae informationes, aliae scriptae alius moneant, praesertim in rebus grauioribus, regesta literarum, aut filicia literarum aliunde perceptarum, aut rursus ad alios ab Archiepiscopo eiusve ministris ratione officii sui transmissarum; illae ad sua loca in Archiuum redigantur; inscripta breui summula materiae quam continent, tum de datae literarum, quibus ea scripta coniuncta erant; & nomine etiam illius, a quo datae illae literae; & ad quem datum super literis ipsis exterius, vel si regesta sint, in margine, fiat mentio; quod loco Archiuo, quoque die ea recondita sint.

Cancellarii cura sit, ut processus omnes foranei, qui in dies ad cancellariam transferuntur, ijs substitutis, qui similitum causarum expeditio incumbunt, consignentur, ac Vicario, & promotori fiscali notificentur.

Omnia memorialia, scripturaeque cuiusvis generis tam ab Archiepiscopo, quam a Vicario generali, & visitatoribus generalibus, quae alijs consignandae sunt, dentur cancellario distribuenda; notent tamen prius in illis vno verbo, quod super ijs ab eo praestari debeat, ad quem mittuntur.

Alii vero Vicarii exceptis Foraneis, etiam monialium, & praefecti vel visitatores, & huiusmodi ministri, si quae memorialia, scripturaeque illis dantur, quae ratione materiae vel alia causa alteri dari debeant, ipsum qui dat, cum ipso memoriali vel scriptura dirigant ac remittant.